



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Arelaten. Archiepiscopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

referatum, nonnunquam in partibus vestris propter insolentiam Praelatorum contingit Ecclesiæ debitum intolerabilius prægravari, pro eo quod earum negotia tanquam propria pertractantes, Clericorum assensum non exigunt in agendis. Cùm ergo quod omnes tangit, ab omnibus debeat approbari, auctoritate præsentium districti inhibemus ne Præpositus vester sine omnium vel majoris partis & senioris assensu pecuniam recipiat mutuò, vel pro ea præster fiducijsoriam cautionem. Si verò (quod non credimus) contra prohibitionem nostram Ecclesiæ præsumperit aggravare, quod ab eo factum fuerit, decernimus non tenere. Nulli ergo &c. Datum ut suprà.

*ARCHIEPISC. ET CAPITVLO  
Arelaten.*

Epi. 473.  
Vt Præpositus  
acepi & ex-  
plici ratione  
rotulat.

**C**Vm instantia nostra quotidiana sit, secundum Apostolum, omnium Ecclesiæ sollicitudo continua, summo studio satagere nos oportet quod status earum in spiritualibus & temporalibus suscipiat incrementa, & in deterius (quod absit) aliquorum desidia non labatur. Sanè, sicut nostris est auribus intimatum, in Arelaten. Ecclesia id consuetudinis noscitur obtinere, quod Præpositus ipsius Ecclesiæ coram Archiepiscopo & Capitulo administrationis sua reddit statutis temporibus ratione, sicut à suis prædecessoribus fuit hactenus observatum. Cùm itaque consuetudinis ususque longævi non sit vilis auctoritas, & præsertim quando ratione non obviat, & canonici instituti, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus præfatum Præpositum ad præmissam consuetudinem observandam appellatione remota, sicut justum fuerit, compellatis. quod citra mandatum nostrum deberet efficere, si famam suam vellet servare apud homines illibatam; ne Iudea notam sinistræ suspicionis incurriter, unde facta sua vellet fratribus & sociis occultare. Datum ut suprà.

*ARCHIEPISC. ARELATEN.*

Epi. 474.  
Vt de persona-  
tibus pro fu-  
lmentare ordi-  
nate possit.

**C**Vm Arelaten. Ecclesiæ personatus prædecessores tui dicatur de pontificalis mensa redditibus staruisse, usque ad tempora ista ordinatio ipsorum ad Pontifices, qui fuerunt pro tempore, sicut nostro est apostolati reseratum, nos-

citur spectavisse. Cùm autem personam tuam sincera diligamus in Domino caritate, nec velimus pontificalia jura tuis temporibus minui, sed augeri; ut de jam dictis personatis, sicut & prædecessores tui sine contradictione qualibet haberunt, liberam habeas potestatem secundum Deum & profectum commissæ tibi Ecclesiæ ordinandi, appellatione frustratoria non obstante, fraternitati tuæ auctoritate præsentium indulgemus. Nulli ergo &c. Datum ut suprà.

*PRÆPOSITO S. JOHANNIS  
de Cimiterio, ejusque fratribus tam pre-  
sentibus quam futuris canonice substituen-  
dis in perpetuum.*

**E**ffetum justa postulantibus &c. usque ad verbum annuimus, & præfatam Ecclesiæ sancti Iohannis de Cimiterio in Papien suburbio sitam, in qua divino mancipati estis obsequio, ad exemplar felicis recordationis Lucij Papæ prædecessoris nostri sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti pagina communimus. Statuentes &c. usque ad verbum vocabulis. Locum ipsum in quo præfata Ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiæ sancti Marci, quæ in parochia vestra fundata est, cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiæ sanctæ Mariæ, positam in porta aurea, cum pertinentiis suis. Ecclesiæ sanctæ Mariæ, positam in castello Lanfranci, cum omnibus pertinentiis suis. & plebem quæ dicitur Rete, cum omnibus pertinentiis suis. Sanè cùm generale &c. Sepulturam quoque &c. Obeunte verò &c. Decernimus ergo &c. Salva sedis apostolica auctoritate & diocesani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum &c. Datum Laterani per manum Raynaldi Domini Papæ Notarij, Cancellerij vicem agentis, XVIII. Kalend. Ianuarij, Indictione secunda, incarnationis dominice anno MCXCVIII, pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno primo.

*ARELATEN. ARCHIEPISCOPO.*

**G**Ravem lapsum monasterij sancti Gervasij de Fos nostro noveris apostolari reseratum, quod cùm collegium ipsius propter insolentiam monachorum ad binarium sit redactum, duo monachi, qui supersunt, Dei timo-

Epi. 475.  
Suscipit eos sub  
protectione a  
postolica.

Epi. 476.  
Vt Monasteriū  
S. Gervasij in-  
flueret.  
Vide supra ep. 464.

M m

274 Epistolarum Innocentij III.

reprosū abjecto non tanquam in monasterio, sed velut in prostibulo impudicè cum duabus mulieribus converlan-  
tur; de quorum conversatione religio-  
ni detractio evenit, & in populo gra-  
ve scandalum generatur; & cum mona-  
sterium ipsum de redditibus & possessio-  
nibus archiepiscopalibus mensæ fundatum  
sit & ditatum, debitam tibi obedien-  
tiam dicti monachi denegant exhibere;  
quin potius etiam adversus Rom. Ec-  
clesiam calcaneum erigentes, interdi-  
ctos & excommunicatos passim recipiunt  
ad divina, defunctis in excommunica-  
tione sepulturam etiam impendentes.  
propter quod in partibus illis & con-  
temptibiles habentur sententiae Præla-  
torum, & justitia penitus non servatur.  
Cùm autem in dicto monasterio & jus  
habeas patronatus, & lege tibi sit dio-  
cesana subjectum, (udne ipsius commo-  
dis & profectibus debes propensiùs im-  
minere) fraternitatì tuae, quam synce-  
riùs amplexamur, auctoritate præsen-  
tium indulgemus ut præfatum mona-  
sterium ad observantiam regularem & sta-  
tum religionis antiquæ, vel, si poteris,  
meliorem, remoto appellationis obsta-  
culo, valeas reformare. Abbates quo-  
que tibi subiectos ad debitam obedien-  
tiā Arelaten. Ecclesia nunc & in po-  
sterum exhibendam compellendi tibi  
nihilominus concedimus facultatem.  
Decernimus ergo &c. Datum Laterani  
IV. Idus Decembris.

*ABBATI AVRAE VALLIS,  
Archidiacono Pictavensi, & magistro  
G. Decano Asianen.*

Epist. 477.  
Vt precarios  
Pontificis in  
beneficiorum  
suum posses-  
sione defendar,  
nisi statutum de  
certo Canoni-  
corum numeri  
repugnat.

**C**VM sumus omnibus ex injuncto  
nobis officio debitores, iis specia-  
liter & praesertim providere tenemur  
qui vel à sede apostolica ordinem suscep-  
perunt, vel apud eam in obsequio no-  
stro & fratum nostrorum laudabiliter  
permanentes, nostram pleniùs merue-  
runt gratiam & favorem. Vnde cùm pro  
ignoris etiam Ecclesia Romana confue-  
rit à personis ecclesiasticis in suis pre-  
cibus tam celeriter quām efficaciter ex-  
audiri, non possumus non mirari si non  
audiamur pro illis quibus ad obtainen-  
dum quod petitur scientia suffragatur &  
mores, & qui nobis sunt & fratribus no-  
stris accepti, & his quibus scribimus non  
ignoti. Sanè cùm pro dilectis filiis W.  
Rofio Subdiacono nostro, Clerico dile-

cti filij nostri Cent. S. Lucia Diaconi  
Cardinalis, qui videlicet subdiaconus  
ex eo quod felicis recordationis C. Pa-  
pæ prædecessoris nostri tempore in ca-  
mera nostra diutiùs laudabiliter deservi-  
vit, & magistro Const. Natal. qui, quo-  
niam bona memoria I. Malabrançæ  
tunc sancti Theodori Diacono Cardinali  
diutiùs obsequium suæ devotionis im-  
pendit, nostram & fratum nostrorum  
gratiam nec immeritò meruerunt, idem  
prædecessor noster venerabili fratri no-  
stro Episcopo & Capitulo Xanthonen,  
primò ac secundò scripsisset ut eos in  
Canonicos suos reciperent, & stallum  
in choro & locum in Capitulo assigna-  
rent; quia Capitulum ipsum preces &  
mandata ipsius semel & iterum implere  
contempnit, bona memoria Ad. Episco-  
pus, tunc Archidiaconus Pictavensis, &  
dilecti filii Decanus & Cantor sanctæ Ra-  
degundis Pictavensis, quibus executio  
mandati apostolici fuerat diligenter con-  
tradictione & appellatione postposita  
delegata, post frequentem commoni-  
tionem, cùm nihil proficerent monitis  
apud ipsos, procuratorem eorum de  
canonica Ecclesiae Xanthonen, curave-  
runt auctoritate apostolica investire, di-  
ctis Episcopo & Capitulo eadem auto-  
ritate mandantes ut eos permitterent  
canonicam ipsam pacifice possidere.  
Ceterum quia Canonici ejusdem Eccle-  
siae se contra hoc contumaces exhibe-  
bant in omnibus & rebelles, iidem exe-  
cutores (sicut ex eorum literis accepi-  
mus manifestè) in eos excommunicatio-  
nis & in Xanthonen. Ecclesiam interdi-  
cti sententiam protulerunt. quam dicti  
Canonici nullatenus observantes, præ-  
sumperunt divina nihilominus celebra-  
bare. Licet idem Episcopus Xanthonen-  
sis, sicut ex literis suis nobis inno-  
tuit, apostolicis nolens contraire man-  
datis, super receptione ipsorum prom-  
ptam habeat voluntatem. Idem etiam  
Canonici ad sedem apostolicam nunciū  
destinantes, suggesto quod in Xanthonen.  
Ecclesia quadragenarius erat Cano-  
nicorum numerus institutus, & per se-  
dem apost. confirmatus, (de quo nulla  
penitus habita mentione dictus Subdiac.  
noster & magister Const. Super rece-  
ptione sua literas obtinuerant ab apost.  
sede imperatas à nobis prædictarum sen-  
tentiarum processu nequaquam expref-  
so) causam ipsam Abbati Sylvæ majoris